



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Cogitationes, Sive Considerationes Christianae Pro singulis Anni diebus**

Complectens Januarium, Februarium, Martium

**Nepveu, François**


**Monachii, 1709**

Dies 12. De integritate pœnitentiæ, seu de contritione.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60495)

januarius.



## DIES XII.

De integritate Pœnitentiæ, seu  
de Contritione.

## I.

**O**porteret renuntiare peccato, & quidem sine exceptione: Vel unum excipere, est nulli renuntiare. Ad Dominum reverti oportet; sed necessarium est, ut id *ex toto corde fiat*. Cor suum DEUM inter, & peccatum dividere velle, est totum DEO subtrahere. In antiqua Lege diversa erant sacrificiorum genera. Lex nova non vult, nisi holocausta; id est, sacrificia victimæ nihil habentia. Fides est sacrificium rationis: Unum solum Fidei articulum non credere, est nullum credere. S. Scriptura Confessionem vocat sacrificium labiorum, unicum peccatum lethiferum voluntariè reticere, non est Confessionem peragere; sed sacrilegium perpetrare. Contritio est sacrificium cordis: Et hoc esse debet holocaustum; Si vel unicum non detesteris, exceptio hæc confessionem tuam non modo reddit inutilem; sed coram DEO abominandam.

II. Pauci inveniuntur etiam in religiosissimis, qui non habeant certum aliquod  
pecca-

peccatum, cui veluti cordis sui delicijs <sup>Ianuarius</sup> affectum suum præ reliquis non affigant, & proin semper ei parcere conentur. Ad dictus quis erit probitati, sed erit alienæ obrectator famæ; alius pius erit; at simul morosus, & impatiens; alius mitis erit; sed negligens, & desidiosus. Unus diligens erit, & accuratus; sed opum nimis cupidus; unus charitatis studiosus, & in egenos liberalis; sed nimium sibi indulgens, & voluptati deditus erit: Iste voluptatem non immoderatè amabit, sed honoris nimium appetens minimo quovis contemptu commovebitur, nec ignoscere poterit. Omnia alia peccata DEO immolamus: Sed secretum plerumque propugnaculum in corde gerimus, in quo hoc affectionis peccatum extra omnem teli jactum custodimus. Saulem imitamur, qui DEO non nisi vilissima immolare voluit, & regi Agag pepercit, à quo DEUS exigì pœnas volebat.

I. Reg. 15.  
v. 9.

III. Reprobatio Saulis pœna fuit improbæ commiserationis, & sceleratæ coniventia; quâ suadente, parci jussit Principi, quem DEUS immolari sibi voluit. Sic æterna multorum Christianorum damnatio inde oritur, quòd adduci nulla ratione possint, ut certo cuiquam vitio, cui peculiariter

**Ianuarus.** sunt addicti, valedicant: Et si DEUS unice cupiat, ut eidem renuntient. Sæpe, nec quantitate, nec numero gravissima sunt, quæ æternam nobis perniciem accersunt; sed unicū, cui immoderate adhæremus; atque id non satis sincerè confitemur, vel eo nunquam perfecte nos abdicamus; Neque hac de re cum DEO, nec cum conscientie arbitro, nec nobiscum ipsis sincerâ fide agimus, vel ea dissimulamus, vel imminuimus. At vobis, quia nosmetipsos, nostrumque Confessarium decipiendo, DEUM non decipimus. Omnia alia sacrificia, quæ ei facimus, si huic peccato, cui vel soli affectum nostrum affigimus, pepercerimus; tantum abest, ut eum mitigent, ut potius eum aded exacerbare possint, ut ea cum contemptu & horrore rejecturus sit. Heu me! Si ea quoque, quæ ad placandum DEUM fiunt, eum ad iram provocant, quò tandem confugiam?

*Scrutare cor tuum, ut perspicias, cui nam peccato præcipue deditus sis. Pete à DEO lumen, quò id cognoscas, & ubi cognoveris, firmiter statue id DEO immolare.*

Projicite à vobis omnes prævaricationes vestras. *Ezeb. 18. v. 31.*

Quomodo potest medicus vulnus sanare, quod ægrotus ostendere erubescit. *Aug.*

DIES